





1336

20.
1763, P

RATIO ENARRANDAE
HISTORIAE IVRIS ROMANI

PROPOSVIT
CVM MVNVS ANTIQVITATES
EIVSDEM IVRIS PVBLICE
DOCENDI REGIA MVNIFICENTIA
IN SE COLLATVM ORATIONE
SOLLEMNI A. D. XIII IVL. A C. N
CCLXIII ADITVRVS ESSET
IOH. LVDOVICVS CONRADI

LIPSIAE
EX OFFICINA BVSCHELIA.

ALL RIGHTS RESERVED

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

LIBRARY

OF THE UNIVERSITY OF CHICAGO

PHYSICS DEPARTMENT

ROOSEVELT DRIVE

CHICAGO, ILLINOIS

SOLENNI A. D. MCMXXV A. C. M.

CLASSIC COLLECTIONS

JOHN FREDERICK CONRAD

LIBRARY

OF THE UNIVERSITY OF CHICAGO



Si eorum, qui Iurisconsulti dicuntur, officium omne in iuris interpretatione consistit; interpretari autem ius, est rationem et sententiam eius ita cognitam atque perspectam habere, ut, quomodo ei conuenienter vnaquaeque sit causa diiudicanda, statuere possis, qua ipsa in re cernitur iuris, quam dicunt, ad causas applicatio: sequitur, quoniam legis cuiusque rationem, eorumque, a quibus ea lata est, sententiam et voluntatem, qui eius legis ferendae causas atque consilia nesciunt, et has causas atque haec consilia, qui vel statum publicum vel mores ciuitatis ignorant, perspicere atque intellegere nullo modo possunt; sequitur, inquam, cuius quisque populi ius cognoscere studet, eius hunc populi quanam quibusque temporibus fuerit et status publicus et morum quasi natura et constitutio, antequam ad ipsius disciplinae spatia progrediatur, ut plene ac recte addiscat, quam diligentissime possit, operam nauare debere. Harum autem rerum si ab historia vna quasi lumen accenditur: quis est, quin eam ad cuiusque populi ius ciuile interpretandum haud minus, et vel magis etiam, quam ad plerasque alias disciplinas vel ornandas vel illustrandas, vilem ac necessariam esse fateatur? Atque illius usus tanto est maior, latiusque diffunditur, quanto ipsius in quaque ciuitate iuris et frequentiores et notabiliores mutationes sunt factae: ut eius, in quo multas ob causas multarum longeque inter se diuersarum nationum studia et olim et

hodie versantur, quo vsi veteres Romani, fortissimi et sapientissimi homines, imperii gloriam bello quaesitam pace non mediocriter adauerunt. In huiusmodi enim tam vario et multiplici iure permulta necesse est esse, quae neque propter antiquitatem sine historiarum cognitione vlllo pacto intellegi, et nisi pro temporum vicissitudinibus accurate inter se discernantur, in plurimas nos maximasque difficultates coniicere queant. Itaque iam illis temporibus, quibus Romanum ius et vnum valuit, et maxime viguit, in ipso eius natali solo Romae, vnus ex consultissimis et prudentissimis Gaius, libro primo eorum, quos ad legem XII tabularum scriptos edidit, antequam ad ipsam iuris interpretationem accederet, ne materiam eius illotis, vt ipse ait, manibus tractare videretur, praeparaturus lectorem necessaria earum rerum notitia, quae totius interpretationis euidentio- rem intellectum praestarent, originem et processum iuris, h. e. eius initia, progressus, et varias mutationes, ex omni memoria repetitas, ad considerandum proposuit. (*cap. 1. tit. Dig. de orig. iur.*) Factum est idem a Gaii familiari Pomponio, qui singularem eade re librum a se conscriptum, vsitato tum et apto sane ad argumenti vtilitatem significandam titulo, Enchiridion appellauit. Eius historiam iuris cur Tribonianus in Pandectas referre, quam Gaii, maluerit, nullam equidem causam exputare possum. Nam et in Pomponio multi et magni viri non pauca et parua tum infantiae tum ignorantiae peccata exagitant, et Gaio alibi, praesertim ad Institutiones concinnandas, Tribonianus ita est vsus, vt, quia eum perpetuo sequeretur, ideo suum eundem vocaret. Sed nos, qui peccata illa in Pomponiano fragmento partim

partim non agnoscimus, partim non adeo grandia et supra omnem veniam esse arbitramur, quod Tribonianus datum et conseruatum nobis voluit, et libenter accipimus, et contra quam nonnulli statuunt, quorum sententia duo eiusdem et nominis et artis Pomponii, sed recentior alter, fuerunt, ab ipso illo Gaii amico desumptum esse contendimus. Quod si tam seueris illis vehementibusque Criticis in mentem venisset Pomponiani huius fragmenti virtutes potius quam vitia perscrutari atque aperire: facinus haud paullo et humanius et gloriosius, quodque magis ad ineundam rectam historiae iuris tradendae viam et rationem valeret, patrassent. Nam in illa exponenda quem ii, quorum scripta habemus, pro suo quisque ingenio adhuc ordinem tenuerunt, eum ego semper, vt libere dicam quod sentio, non tam ad vsum commode, quam ad ostentationem speciose, institutum esse iudicauit. Quo in iudicio ferendo nequis temeritate nos et praecipitanti lapsos esse putet, explicabimus iam Pomponianam oeconomiam, vt ipsa eius cum alia quacunque facta contentio assensum eorum, qui vacant vel odii vel amoris affectu, extorqueat. Sunt igitur historiae iuris totidem partes, quor significationes habet vocabulum ius. Trifariam autem a Veteribus id vsurpatum reperio. Nam et aequitatem, siue legibus constitutam illam, siue moribus obseruatam, et locum, in quo magistratus iudicia exercebant, et ipsam denique Iuriconsultorum aequi et boni artem, siue iusti et iniusti scientiam, ius nominarunt. Prima significatio propria est; alteram tertiamque Rhetorum filii metonymicam esse tibi ostendent. Iam cur non solum de iure ipso, verum etiam de iudiciis et magistratibus,

bus, deque iuris prudentia et eius auctoribus, in hac historia sit, et quonam de his singulis partibus ordine, referendum, intelligi potest ex ipsa illa harum trium rerum inter se affinitate, qua factum est, ut vno communi omnes vocabulo appellarentur. Eius affinitatis rationem Pomponius apertissime his verbis declarat: *Post originem iuris et processum cognitum, consequens est, ut de magistratum nominibus et origine cognoscamus. quia, ut exposuimus, per eos, qui iuri dicundo praesunt, effectus rei accipitur. quantum est enim ius in ciuitate esse, nisi sint, qui iura regere possint? Post hoc deinde de auctorum successione dicemus, quod constare non potest ius, nisi sit aliquis iuris peritus, per quem possit quotidie in melius produci.* Haec Pomponii oratio cum sit plena perspicuitatis et veri iudicii, mirum est, quod alii eam aut improbarunt, aut non intellexerunt, qui nulla omnino partium distributione sunt vsi. Nam temporum ordo, quem solum adhibuerunt, est ille quidem pernecessarius, in quo et nos conseruando nemine volumus inferiores videri: sed, omissa partitione, quam rei natura poscebat, nihil aut parum esse video, quod idem profit vel ad memoriam adiuuandam, vel, quod maius est, ad iudicium acuendum. Nisi enim totum in eas partes, ex quibus compositum est, diuidatur, quomodo illud perfecte intellegi poterit? Sed et singulae partes ita rursus considerandae sunt, ut, quarum rerum concursio vnamquamque constituit, eae porro et ipsae inter se discernantur ac separentur: deinde autem ut, quomodo harum quaeque orta et progressa, quamque varie mutata sit, inuestigetur. Atque hic demum, vbi ad singula momenta peruentum est, quia iudicium tum adquiescit, si temporum ordo explicabitur, maximum

num is memoriae lumen afferet. Hoc autem, quo diximus, modo satis in praesentia erit primam tantum partem a nobis, quantum per libelli huius breuitatem licet, exponi. Dico igitur iuris, quando significat id, quod aequum et iustum est, cum formas, tum vim considerari debere. Quod ad formas attinet, ius est vel scriptum, vel non scriptum. Scripti iuris origo a lege XII tabularum est repetenda. Nam leges, quae ante illam erant, quotquot earum hac comprehensae non sunt; ea lata nihil amplius valuerunt. Itaque velim historiae iuris enarratorem, praesertim in scholis, vbi cum tironibus agitur, quorum industria nunquam in rebus vel subtilioribus, vel minus etiam necessariis fatiganda est, commemoratis breuiter harum legum causis et argumentis, descriptaque adeo vel extremis lineis temporum illorum imagine, statim ad legem XII tabularum suos tanquam in arcem, vnde omnia patent, deductos magna diligentia edocere, non tantum a quibus hominibus, quanto et studio et iudicio, lex ista condita fuerit, verum etiam, id quod sine dubio magis necessarium est, quot et quaeenam eius legis capita et horum qualia de vnoquoque rerum genere praecepta sint. In capitibus autem eorumque multiplicibus argumentis enumerandis volo id operam dari, vt rerum ordo ita explicetur, vt auditores eius rationem perspiciant. Quod fiet definiendo et diuidendo. Vt, si ius in ciuitate constituitur, vt eius vtilitati consulatur; vtilitas autem cuiusque ciuitatis vel publica, vel priuata est: quoniam duplicis generis legibus opus est, aliis pro statu reipublicae, aliis pro singulorum vtilitate: ius et publicum et priuatum esse debet. Priuatum, a quo XII Tabulae inci-

piunt,

piunt, in eo versatur, vt quisque, quod suum est, habeat. Iam quia, quod meum est, in eo ius habeo, de remediis eius persequendi lex praecipere debet. Haec sunt iudicia, siue alio vocabulo actiones. Iudicia sine agendi forma esse non possunt. Ergo prima tabula est de in ius vocando. Quod meum est, id vel in dominio meo, vel in bonis meis est. In dominio meo quod est, id vel res singularis, vel vniuersitas est. Rei singularis possessio vel casu vel furto amitti; de vniuersitatis autem iure alius mecum in contentionem venire potest. Itaque altera tabula est de iudiciis, h. e. petitionibus ac vindicationibus, et de furtis. Nam etsi iudicium, vt et actio, generale vocabulum est, Veteres tamen vtrumque saepius etiam hac angustiore significatione dixerunt. In bonis meis est, quidquid mihi vel ex contractu, vel ex negotio aliquo ciuili, vel ex alieno facto, vel ex iure singulari praediorum debetur. De contractibus multa desunt in tabula tertia: est enim tantum de rebus creditis. Negotium ciuile hic dicitur, quodcumque iure ciuium Romanorum proprio est contractum. Ius ciuium Romanorum proprium consistit in connubio, patria potestate, testamentifactione, tutela, agnatione, gentilitate, sacris, vsucapione, nexu, mancipio atque commerciis. De his rebus agitur in tabula quarta, quinta et sexta. Ex alieno facto, quo vel iniuria vel damno sum affectus, mihi vel iniuriae poena, vel damni restitutio debetur. Et cum facta huiusmodi nominentur delicta, de delictis habes tabulam septimam. Octaua est de iure praediorum. Ea initio erant capti hostium agri. Dicebantur autem, quae nondum diuisa essent, publica, diuisa priuatis, priuata. De publicis ideo hic agen-

agendum erat, non modo quod ex iis priuata sunt orta, sed etiam quod solebant equitibus locari, et respublica in locando priuati sustinuit personam. Sequitur ius publicum. Et quoniam publica, nisi cum diuinis coniungantur, infirma sunt, publici iuris fit rursus diuisio, vt altera pars ad religionem, altera ad res humanas pertineat. Illud sacrum, hoc simpliciter publicum appellatur. Publicum est de potestate inter populum et magistratum diuisa, et nona tabula continetur. Sacrum, de cultu Deorum et munere sacerdotii, quod in decima tabula definitur. Vndecima et duodecima tabula nihil aliud habet nisi quaedam supplementa eorum, quae in prioribus ad plenam iuris descriptionem deesse videbantur. Itaque in harum priorum explicatione, quam et diligentissimam et maxime dilucidam esse oportet, illa suo quaeque loco non sunt praetermittenda. Iam si discipulus moneatur, fieri non posse, neque vt mores non aliquid ius faciant, neque vt nouis legibus interdum opus non sit, hanc esse causam intelleget, quare iam ordo ferat, vt sibi statim, quae iuris huius et accessio facta sit, et mutatio consecuta, ostendas. Quoniam autem et accessiones, et mutationes, dupliciter factae sunt, moribus partim, partim legibus: ne historiam iuris moribus introducti, et eius, quod est legibus constitutum, obscuret vtriusque confusio, antequam de iure non scripto dicatur, scripti absoluenda historia est. Atque hic primum diuersam reipublicae, quam diuersis temporibus induit, faciem nosse debet auditor. Ea enim variata, variata est etiam ratio legum, vt alio atque alio modo, sic aliis atque aliis de rebus constituendarum. Exponerem illi ergo, quibus temporibus,


B

quomo-

quomodo, quibusque in causis primum leges, deinde plebiscita, tum senatusconsulta, postremo constitutiones fieri solitae fuerint. Et constitutionum quidem, quod et numero plurimae sunt, et causis multiplices, et genere ipso maxime notabiles, fieret a me subtilis diuisio, quae omnem illarum inter se differentiam exhauriret. Ego duas constitutionum primarias classes facio, vnam ius continentium, alteram personalium, quae sunt extra ius, et priuilegia nominari solent. Vtterior in vtriusque harum distributione progressio longius abit, quam vt hoc loco fieri debeat. Cognita modorum constituendi iuris varietate, proximum est, vt, quas nouo iure constituto antiquum vel accessiones, vel mutationes habuerit, doceatur. Accessio ad ius antiquum, est noua iuris constitutio de re, qua de nihil omnino adhuc erat praeceptum. Vt SCrum Tertyllianum, de matris successione in bona liberorum. Sed harum accessionum omni tempore haut ita magna frequentia fuit. Mutationem subiit ius antiquum vel in singulis causis, vel in totis partibus. In singulis causis mutati formae sunt quatuor. Nam aut veterem legem noua plane sustulit: vt legem Domitiam de sacerdotiis lex Cornelia. Atque haec abrogatio dicitur. Aut veteris legis modo particula aliqua per nouam est demta: vt legis XII pars ea, quae de connubio est, per legem Canuleiam de connubio plebis. Hanc derogationem vocamus. Aut veteri legi noua quiddam adiecit: vt legi Aureliae de iudiciis nonnulla addidit Lex Pompeia de vi et ambitu. Haec forma surrogatio appellatur. Aut veteris legis sententiam noua mutauit, h. e. correxit, atque aliter definiuit: vt poenam ex lege

lege Servilia de repetundis Sulla in aquae et ignis interdictio-
nem auxit; item Iustinianus in lege Aelia Sentia hoc mutavit,
ne aetas vel manumittentis, vel manumissi respiceretur. At-
que haec est obrogatio. Nec vero mea sententia necesse fuerit
huiusmodi leges omnes et singulas percensere atque interpreta-
ri. Nam etsi omnium vnus cuiusque generis legum enumera-
tio et facta inter se contentio longe vtilissima est: quia tamen
et vberior haec materia est, quam pro generalis doctrinae mo-
do, et ratio habenda est nonnulla tironum imbecillitatis: ideo
singularem et peculiarem historiae legum tractationem puto
esse debere. Sed in illa duae res obseruandae sunt, quarum
neutra potest abesse, nisi lectoris vel iudicium vel memoriam
nullo statuas adminiculo indigere. Prima est, vt leges in ti-
tulos distributae proponantur. Ordinis enim, qui alphabeti-
cus dicitur, incredibili absurditate hos tantum non of-
fendi credibile est, qui malunt ad incertitiae asylum, quod
etiam ignavis patet, confugere, quam doctrinae praesidiis, in
quorum aditu fortasse sudandum est, vii. Chronologicum
autem ordinem qui adhibet solum, is non animaduertit, in
hoc ordine ordinem adhuc deesse. Vsum eius ipsemet exi-
go, et hic, et vbicunque opus est, sed vt secundarii ordinis.
Quia enim dissimilium rerum naturae varietas prior est muta-
tionis earundem varietate, perspicuum est, et quare duplex
hic ordo requiratur, et vter alterum praecedere debeat. Di-
geruntur autem leges a me in hos titulos: de dissidiis inter pa-
tres et plebem tollendis, de foenore, de re agraria, de sum-
tibus

tibus, de forma iudiciorum, de iudiciis publicis. Altera res diligentiam iam desiderat haud paulo maiorem. Volo enim, vt explicetur caussa et ratio, quae legis cuiusque suaserit vel nouae constitutionem, vel antiquae mutationem, h. e. eius vel abrogationem, vel derogationem, vel surrogationem, vel obrogationem. Ea ratio ex aetatis cuiusque vel reipublicae statu, vel morum consuetudine reddatur necesse est. Sequitur nunc, vt de totarum partium iuris mutationibus disseratur. Nos quia breuem vniuersae historiae particulam hoc loco exhibuisse contenti sumus, de illis agemus tum, quando cetera simul omnia paucis descripta in vsum eorum, qui nos audiunt, edituri sumus. Et omnino praestat mutationes istas non attingere, quam exiliter nimis, vt hic faciendum foret, pertractare.



Nam



Nam vel sic tamen arbitror intellegendis me rationem meae disciplinae dedisse, alumnis eiusdem recognitionem eorum, quae a me audiissent, non iniucundam, iis denique, qui scholis meis in posterum interfuturi sint, exemplar proposuisse eorum, quae in legum iurisque studio sequenda sint. Nam siue quod initia cuiuscunque doctrinae ab eius historia repetenda sunt, praesertim si quorundam tenerior aetas ipsis disciplinarum decretis percipiendis non satis apta, ad earum studium excitari debet; siue quod historiarum tractatio magnam praebet animo nostro oblectationem, cum memoriam alat vetustatis cognitione, cuius tum suauitas summa, tum vberissima utilitas est, siue, quod ne comprehendi quidem satis, quidquid ad artes pertinet, sine hoc adminiculo potest, studium illud, quod in Iurisprudentia historica versatur, unicuique debet esse commendatissimum. Cuius rei argumentum est, quod summi semper homines, qui, ut plus ceteris viderent, operam dedissent, et oratione et vero etiam exemplo iis, qui studia sua aemularentur, hanc rationem commendarunt, eam ipsis tanquam facem in tenebrosos quibusdam locis praelucere voluerunt, hanc totius quasi itineris comitem adiunxerunt. Neque vero alienum putavi ab hoc tempore, quo propter beneficium REGIS nostri CLEMENTISSIMI FRIDERICI AVGVSTI mihi nuper tributum, gratiae quas iam dudum mente conceptas teneo, etiam verbis et oratione ad eam rem apta, proferenda sunt, ea disputari, quae cum munere mihi demando coniunctissima essent.

Nam

14. RATIO ENARRANDAE HISTORIAE IVR. ROM.

Nam cum Is, siue pro summo erga litteras amore de mea qualicumque in erudienda iuuentute opera, ita iudicasset, vt mihi munus docendarum antiquitatum iuris demandaret; siue propter facilitatem et indulgentiam precibus meis et suffragationi fautorum locum dedisset: si grati, si boni viri, si digni tanto beneficio laudem obtinere velim, magnitudinem ipsius, non tam, vt consuetudini satisfaciat, quam vt lactitiae, quae, vt fas esse debet, maior est, quam vt intra animi recessus contineri se patiat, non aduersari videar, continua oratione celebrandam esse intellego. Simul iurisconsulti officium in aequitate retinenda versari demonstrabitur, secundum Varronis sententiam, *ius Praetorium ad leges, censorium iudicium ad aequitatem aestimari oportere*. Quod fiet die Iouis proximo hora VIII. Sed quoniam illud officium multorum frequentiam desiderat: vt RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICVS ILLVSTRISSIMI COMITES VTRIVSQVE REIPUBLICAE PROCERES BONARVM ARTIVM DOCTORES ET FAVTORES COMMILITONES DENIQVE GENEROSISSIMI ET NOBILISSIMI me dicentem suo fauore ac beneuolentia excitare et sustinere velint, cum meo, tum litterarum nomine maximo opere rogo atque oro.

Lipsiae III. Id. Iul. A. C. N. ~~MDCC~~ CCLXIII.



Leipzig, Diss., 1763(1)

vd 18

ULB Halle
005 308 925

3







20.
1763, P

RATIO ENARRANDAE

HISTORIAE IVRIS ROMANI

PROPOSVIT

CVM MVNVS ANTIQVITATES
EIVSDEM IVRIS PVBLICE
DOCENDI REGIA MVNIFICENTIA
IN SE COLLATVM ORATIONE
SOLLEMNI A. D. XIII IVL. A C. N
MDCC CCLXIII ADITVRVS ESSET

IOH. LVDOVICVS CONRADI

LIPSIAE

EX OFFICINA BVSCHELIA,